

Q.K.  
431  
46

II C  
1282

X 1860639

DE.  
**DUCENARIIIS.**  
**DISSERTATIO.**

QVA  
AD. EXAMEN. AVTVMNVM.  
SCHOLAE. SNEEBERGENSIS.

DIE. XVI. KAL. NOV.

HABEND.

OMNES. AD. QVOS. ID.  
NEGOTIVM. PERTINET.  
MORE. SOLITO. INVITAT.

VRBANVS. GODOFR. SIBERV.

M. A. S. R.







## I.

**R**oma, Romanique orbis magistratus varii, nec pauci numero suere, quos gnara utilitatis suae gens, nunc svadente tempore constituit, nunc in orbem abeunte vicissitudine rerum antiquavit, abrogavitque. Nec defuere etiam ingenia, decora certe, quorum operâ haec senatus plebisque instituta, perennaturis monumentis traderentur. Male etenim cum gente rerum Domina actum esset, si primus forte FENESTELLA, incertus \* auctor extitisset, ac ni vetustiores multo, famae, gestisque rebus AETERNAE VRBIS prospexissent. Multi oppido VARRONES has in laudes abeunt, earumdemque partem plures adhuc caperent, ni temporum furore suis ornamentis spo-

A 2

liati,

\* Loquatur hac de re illustris Vossius de Hist. Lat. L. I.  
c. xix. Extat hodie sub Fenestellae nomine liber de  
Magistratibus Romanis. Quem germanum tanti Vi-  
ri foetum putare hoc vero desipere sit. Verus  
scriptor est, Andreas Dominicus Floccus, Florenti-  
nus, Secretarius Pontificis Romani, et Canonicus Flo-  
rentinus, quem hoc de arguento scripsisse, testatur  
Flavius Blondus in Historia sua.

liati, famam sine pondere haberent. Horum  
munere, formam Reipublicae antiquam contem-  
plamur, horumque beneficio ipsam velut intro-  
gressi curiam, tot Regum, quot Senatorum sedes  
intuemur. Hi, tribunalia, curulesque sellas, hi,  
praetoria et fasces indicant, nobisque longo tem-  
porum ac terrarum tractu disitis, omnia quasi in  
conspectu locant. Frustra juniores senibus oppo-  
nas, quicquid etenim aeratis nostrae magna nomi-  
na fecerunt, ac quicquid PANCIROLLO laudis,  
BVLLINGERO gloriae, famaeque LIPSIO ac-  
crevit, id omne tamen his antiquioribus acce-  
ptum ferunt. Proinde ex illorum mente senten-  
tiaque differam, dum de DVCE NARIO, MA-  
GNA POTESTATE dicere constitui, quae ex illustri  
stirpe orta majora indies, sponque superantia  
incrementa cepit, contractaque rursus cogente  
temporum vel fatorum vi evanuit. Hanc gna-  
vitatem, ne inanem habeatis, rogo quippe quam  
bonam utilemque boni viri censuere, quamque  
exemplo probati literarum ducis communire pos-  
sum. Casaubonus certe, digno fama sua argu-  
mento, apud Monspelienses, scholas aperturus  
\* non nisi de Romani orbis magistratibus dicen-  
dum

\* CSAAVB. ep 116, ad Theod. Bezam Nos hic professio-  
nem hac ipsa hebdomade auspicati sumus. Suscep-  
imus tractandum antiquitatis Romanae locum de Ma-  
gistra-

dum sibi creditit. Et jure quidem, Tua enim PLINI, divina vox est: RES ARDVA VETVSTIS NOVITATEM DARE, OBSOLETIS NITOREM, OBSCVRIS LVCEM, FASTIDITIS GRATIAM, DVBIIS FIDEM; (qvodq; nobis forte non omnia undique assecutis veniam exorare poterit) ITAQVE ET NON ASSECVTIS, VOLVISSE, ABVNDE PVLCHRVM ATQVE MAGNIFICVM EST.

## II.

Qvum vero facilis eos in errores lapsus sit quos aliis inexplicabiles fuisse cernimus; illos imitari placet, qui PORSENÆ regis tumulum \*\*

a 3

gistratibus ejus Reipublicae, opus profecto arduum, et virium prorsus non istarum. Sed erat parendum Pindari praecepto, quod iuber γέροντας τηλαυγίς. Statueratque magnus homo has αὐγεσάσεις suas publicas aliquando facere teste Ep. 125. qvum nemo eruditorum hac de re certi quicquam tradidisset, sed periere sine dubio hi commentarii cum plerisque aliis, de quibus propediem in vita eius a nobis scripta dissereamus.

\*\*PORSENA Hetruscorum Rex vefana dementia gloriam quaerens, portentorissima Regum Aegyptiorum opera imitatus est, Labyrinthum extruendo. Eum sub urbe CLUSIO fuisse tradit VARRO, nulla vero super esse vestigia monet PLINIUS I, xxxvi, c. 13.

visuri, assumto lini glomere, occursum amba-  
ges devitarunt. Eius vicem temporis notatio  
subibit, quae ut neglecta multos haesitantes fe-  
cit, sic observata, promptos in hoc spatio expedi-  
tosque reddet.

## III.

Hinc nobis in Augusti Principis aetate stan-  
dum, quae Natales sine dubio huic dignitati dedit.  
**Id TRANQVILLI** hoc suffragium affirmat:  
**AD TRES IUDICVM DECVRIAS QVARTAM AD-**  
**DIXIT EX INFERIORE CENSU, QVAE DVCENARI-**  
**ORVM VOCARETVR, IUDICARETQVE DELEVIO-**  
**RIBVS SVMMIS.** Svet. Aug. C. xxxii. Singula addignita-  
tem Ducenarii explicandam faciunt. Primo etenim  
rationes indicat, quibus Imperator motus novam  
potestatem constituerit; tum vero nomen ipsum,  
undeque stirpem traxerit declarat, tandemque  
munus ipsis obeundum tradit. Primum illud dis-  
quisitione non eget. Quem etenim fugit AVGV-  
STVM raritate iudicum, quos bella civilia exhau-  
serunt, compulsum, istud iuscepisse? Maiori cu-  
ra in horum enodatione versabimur: **QVAR-**  
**TAM DECVRIAM EX INFERIORE CENSU AD-**  
**DIXIT.** Ac plures quidem sic existimasse scimus. \*  
Augustum, multis ex equestri gradu, quorum

\* Princeps illorum PHILIPPVS BEROALDVS enarrator  
Sycetonii, ad Cap. xxxii. Aug. ita tradit: Quorum ordo  
rem  
iudic

rem familiarem temporum calamitates fregerant, induluisse, ut, si ad maiorem censum, quo equites censebantur, non ascenderent, honores tamen ceteris equitibus patentes petere, capessereque possent. Sed inani hoc conatu faciunt. Quid si dicemus censum a TRANQVILLO hoc loco appellari SALARIUM, quod primus omnium AVGUSTVS iudicibus, rem Romanam, et in urbe et provinciis administrantibus constituit? DIO certe, quem neglectis omnibus sequi et sectari placet, sua id auctoritate svadet, dum afferit, his iudicibus MINORIBUS remunerationis loco certam auri. argenteique summam datam, exindeque nomen dignitati impositum fuisse\*; Qvod si vero quis, colligi ex eo posse, regerat, datos fuisse iudi-

iudicabat, quadringenta habebat in censu. Qui additi sunt ab Augusto, ducenta tantummodo cum haberent, DUCENARI<sup>H</sup> dicti sunt. Provocat exinde ad PLINII suffragium: Divo AVGUST. decurias ordinante maior pars equitum in ferreo annulo fu-  
it, hinc non equites sed iudices vocabantur. Verum in eo, ut cuivis patet parum auxilii reperit. Eadem reperit in Explic. ad APVL. Aur. Asin. I. VII. quammodum modestius paulo. Ducenarii, VIDENTVR nominari a censu dneenorum sestertium cum legitimo iudici equitique sestertia quadringenta census fuissent.

\*DIO. H. R. L. LIV,

ces SUPERIORIS CENSVS, vel quorum  
SALARIVM auctius honor atiusque esset, id, ta-  
cente licet TRANQVILLO, confitebimus, quando,  
quidem idem ille Dio hoc affirmat: καὶ τοῖς ἀνθρά-  
ποις τὸν μισθόφεραν διδέθη τότε οὐρανίθη. Certum  
stipendium etiam Proconsulibus editio constitu-  
tur, quia tum etiam Caesar, ut merces eis sua  
daretur, censuerat, Pauloque post, ut inferiorem  
superioremque censum eo certius distingveret,  
conceptis verbis ait: πάκτω τι λαμβάνειν ἔργαντο,  
τούτο μὲν γὰρ ἐξ τῆς πᾶσι σφαιν, αὖλος οὐ περι-  
ί χειρά διητεῖ εἰτάχθη. Stipendium accipere coe-  
perunt, NON IDEM OMNES, sed quemad-  
modum muneris eorum rationi congruebat.  
Id vero Interpretibus explicandum erat, quippe  
quod maximam difficultatem peperit TRANQVIL-  
LO; verum alter in Decuriarum voce, alter in le-  
vioribus moratus, rem ipsam praetermisit.

## IV.

*Ex quo igitur Augustus de salario iudicibus  
decernendo sanxit, de nomine simul ipsis  
imponendo cogitasse credo. Quam rem cum Me-  
coenate suo aggressum haud vanus reor, siqui-  
dem, cum eo omnia participare solitum, rerum  
scriptores tradunt. Huius vero indeoles, vel inventis  
recens, vel antiquatis etiam vocabulis maxime des-  
locato.*

lectabatur, quod Tranquillus tradit, cumque eo aliis  
quorum testimonia ANDREAS SCHOTTUS \* sedulo  
collegit. Is, nescio an illusurus ordini, an maiores  
sestaturus, insolenti auribus Romanis voce. DU-  
CENARIOS appellasse videtur. Attamen id factum  
suum pari exemplo vestitis communire potest,  
quum maiores Romanorum, duplicata, triplicata-  
que stipendia, vel binis equis merentibus ex eo  
nomen indere voluerint. Manifestum illud, si  
DVPLARES, DVPLICARIOS, TRIPLICARIOSQUE  
videamus. Illorum, VARRO meminit: Duplica-  
rii, quibus ob virtutem duplia cibaria dabantur,  
et lapis ille vetus a GRUTERO observatus, L. PE-  
DIO. L. F. PAL. VERECVNDO EQVITI. SINGVL.  
FLAM. TRAIAN. M. PEDIVS. L. F. PAL.  
ALBINVS. SABINIANVS. EQVES. DVPLARIS.  
Horum, cum scriptores pasim, tum vero etiam  
Tiburtina inscriptio, quam SAVARONIS beneficio  
servatam allatamque a SIRMONDO legimus,

T. CLAUDIO AVG. LIB.

FELICI SCAPVLANO

D. III. Q. III. QVINQVENNALI IMMVN.

TRPLICARIO VENEMERENTI.

V.

Clarum ex eo, DVCENARII appellatio-  
nem

\*Andr. Schottus L. II. Controv. Sen. Controv. XII.

nem non aliunde, nisi ex hac imitatione, ansa licet  
 a stipendio data, natam esse. Utut enim quidam  
 opinentur, ac nobis ipsis aliquando venerit in  
 mentem, Ducenarios forte a Ducatu. vel quod  
 tanquam Duces in oppida Imperio subjecta mitte-  
 rentur, dictos esse, ac praeterea PETRUS GRE-  
 GORIUS THOLOSANUS, magnus Iuris Interpres ad  
 nos accesserit; attamen neque illis nec nobis ip-  
 sis nec Tholosano, etiam aslentiri placuit. Si qui-  
 dem, quaestione hanc in rem habita, cognovimus  
 Dvcis nomine non talem potestatem, qualis pri-  
 mo DUCENARIORUM erat, designatam esse. Du-  
 cum potestas omni propemodum tempore cum  
 imperio in exercitus, legionesque coniuncta es-  
 sat, id quod Tranquilli Spartanique verbis o-  
 stendendum. Horum alter de Tiberio: confide-  
 bat ostento sibi ac maioribus suis, in omni DUCA-  
 TU, i. e. imperio militari, expertissimo. Alter  
 de Aelio Vero: Adriani auctoritate Dux et re-  
 ctor impositus Pannoniis. Quare ne illa etiam,  
 quae de Rhaetorum duce, Rhenanus ex alio in-  
 stituto attulit, a Tholosano in exemplum trahen-  
 da sunt, ut Ducum potestatem civilem non mili-  
 tarem asserat, quum illa ipsa formula Ducatus  
 Rhaetici, conceptis verbis statuat, hanc potesta-  
 tem, maximam partem militarem fuisse. Non est  
 tale, (sic formula) pacatis regionibus ius dicere,  
 quale suspectis gentibus assidere, ubi non tan-

tum vitia, quantum bella suspecta sunt, nec sola vox praeconis insonat, sed turbarum crepitus, (mallem legere tubarum strepitus, ut apud Tacitum, tubarum, cornuumque concentu strepere, A.I.C.28. secus quam BROSSEO et FORNERIO est visum) frequenter insultat. Ibi impetus gentilis excipitur, et transmissis iaculis sauciatur furibunda prae sumptio. Nec ita multo post addit: Ducatum tibi credimus Rhaetiarum, ut milites et in pace regas et cum eis fines nostros solenni alacritate circumveas. Cassiod. Var. L. VII. Form. IV.

## VI.

Iam de munere, cui administrando ab Augusto dati, differendum erit, quod his verbis Svetonius complectitur: **VT IVDICARENT DE LEVIORIBVS SVM MIS.** Id leve reliquias visum, nobis haud quaquam contemnendum est. Quod si enim certi hac de re fuissent, summi oppido viri cavissent, ne in ea ita titubarent, ut immutatis Svetonii verbis, pro **LEVIORIBVS SVM MIS,** leviores **LEGES** subiicerent, quod **ALCIATI** licentia factum esse credo. At, dicat mihi, quo iure leges illas leviores statuat, quae de fortunis saepe bonisque civium censebant. Leges profecto illae, etsi de exiguis quandoque rebus pro-

nunciarent, \* leves tamen ipsae non erant, sed sanctae potius etiam violatae habebantur. Melius profecto paululum SIMON & CHARDIVS de LEVIORIBVS REBUS exposuit, nec omnino tamen exakte; servanda nempe premendaque Tranquilli verba erant, cuius aetate lites inter humiliores natae, SVMMAE, qui easagerent ACTORES SVMMARVM dicebantur. Id Svetonius affirmat in Domitio, ACTOREM SVMMARVM, pridie quam crucifigeret in cubiculum vocavit, assidere toro iuxta coëgit. Dom. XI. Qvo loco quamvis in diversum nos abripere conetur CASA VENVS dictitando, servos olim hoc nomine venisse, obniti tamen nos TRANQVILLVS iuber, qui in AVGVSTO sciens prudensq; ACTVM rerum iudicibus ascribit, nosque docet Patronos pari modo hoc nomen meruisse, qvippe qui aliquando iudices summarum, aliquando, actores essent, quod et TORRENTIVS agnovit. Ceterum mihi non persuaserim, Actorem illum SVMMARVM, si servum statuamus, tantae dignationis apud Domitium suisse, qui tamen honos iudici Patronoque, vel per simulationem Tiberii, convenire potuit. Nec

sup

\* Plin. L. II. Ep. ep. 14. Distringor centumviralibus, causis, quae me exercent magis quam delectant. Sunt enim pleraque parvae et exiles: raro incidit, vel personarum claritate, vel negotii magnitudine insignis;

supplicium servile nos ab hac sententia deducit,  
gnaros nempe severitatis Domitii, qua in avari-  
tiam vexationesque Iudicium graviter animad-  
vertebat. Quod si quid, de hoc summarum aeto-  
re, tot seculorum oblivione presso, augurari lice-  
ret, crederem TVSCILLVM NOMINATVM fuisse, qui  
Vicentinos deceperat, cuiusque capiti periculum  
adesse, aequalis Domitii Plinius existimabat, Ep. L. v.  
ep. iv. Quibus impedimentis e medio rejectis mo-  
nendum lectorum duximus. SVMMIS, eas indicari  
causas, de quibus iudicio ordinario vel ad formulam  
contendebatur, quod aliter factum in iudiciis ex-  
tra ordinem institutis, non diffitentur, qui mo-  
rem iudicandi apud Romanos data opera de-  
scripserunt.

## VII.

Ea DVCENARIORVM dignitas sub Augusto  
nec maior forte sub initia Tiberii. Vrbi enim a-  
derant, nec nisi quinquennio in eodem munere  
peracto, discedendi potestatem habebant. Cuius  
rei idoneum testem Dionem Cassium habemus:  
omnibus, inquit, ex aequo interdixit, ne ante  
quintum annum a gesto in vrbe magistratu pro-  
vincias sortirentur. Cui memorata paulo ante  
Inscriptio accedit, SCAPVLANVM QVIN-

B 3

QVEN-

QVENNNALEM IMMUNEM memorans, unde  
discimus iudices illos quinquennio exacto immu-  
nitatem consecutos, hancq[ue] libertatem sibi datam  
honorum titulis adscripsisse. A quo vero tem-  
pore Tiberius in senatum et equites crebris ani-  
madversionibus saevire, ordinemque illorum fi-  
etis criminibus debilitare cepit, tum DVCENA-  
RIOS praeter Vrbanas functiones, provinciali-  
bus admotos credo.\* Tum census accipiendi,  
quae magna dignitas, cogendorumque vectigali-  
um potestas data, quae et ipsa quondam solis Pro-  
consulibus mandata erat: τὰς φέρεις οἱ αὐτοκράτορες  
συνεπάρχουσιν, Proconsules ipsi tributa exigunt. Dio-  
L. LIV.

## VIII.

Ad hunc honorem cum admissos viderent DV-  
**CENARIOS**, falso quidam credidere nomen ip-  
sum a vectigali Duecentesimae datum illis esse,  
qvum tamen istud, ne constituta quidem adhuc Du-  
centesima, nec Ducenariis in societatem cogendo-  
rum vectigalium assumtis, impositum iis esset. Con-  
venit enim inter omnes, DUCENTESIMAE  
vectigal ab Augusto ortum non habere, quippe qui  
**CENTESIMAM** duntaxat rerum promercarium  
in subsidium militaris aerarii imperavit; Anno  
A. V. C. DCLIX, quare DVCENARIIS nomen exin-

de

---

\* Vid. Lips. ad Tacit. A. XII. Excurs. B. ubi non diffitetur  
auctam fuisse potentiam sed tantum in re pecu-  
niaria.

de non haesit. Tiberius vero, Centesimam, circumscripto rege Archelao, in DVCENTESIMAM mutavit, neque tamen illam perpetuam esse voluit sed sublatam quandoque, rursus pendi jussit, quod post Seiani necem contigisse, <sup>DIO,</sup> aliique tradunt, exemploque eius CAIVM institisse, VRSINI, et PATINI. CL. V. nummi docent, in quorum oralegas: CAIVS CAESAR. DIVI AVG. PRON. AVG. in areae medio R. CC. quod est, REMISSIONE DVCENTESIMAE.

## IX.

Quantumvis vero non diffiteamur, Ducenarios Ducentesimam exegisse, nomenque ipsum quodammodo cum vectigalis pondere convenisse; alia tamen vetustatis documenta fidem faciunt, eos, dum id agerent, Procuratores potius dictos esse, ipsosque propemodum de nomine suo cavisse, ne decepti a vera vocis stirpe flecteremus. Hocque loco multum nobis LEONARDUS PORTIUS, eandem sententiam defendens consultlit, qui BUDEO dubitante. lapidem ostendit, affirmantem, Ducenarios ab Augusto factos, quum a Tiberio ceterisque Imperatoribus aliis muneribus praeficerentur, Procuratores ad CC. i. e. ducentesimam dictos esse. Extat Lapis Antiquariae, in provincia Baetica, haec verba referens: PRO. CVR. PROV. BAETICAE AD DVCEN. Qvod si tamen inde

inde quis colligeret omnes Procuratores fuisse  
Ducenarios, quo THKODORUM RYCKIVM novum  
Taciti Interpretem abiisse video, Animadv. ad  
**XII.** A. cap. **LX.** is sine dubio erraret, quando  
Ducenarii quidem Procuratores, nec mutata ta-  
men vice, omnes Procuratores Ducenarii habe-  
bantur.

## X,

Sic Imperatorum ope magna iam tum incre-  
menta **DUCENARI****I** ceperant, quae tamen ipsi, ut  
adsolet, audacia mirum in modum adauxerunt.  
Ac licet Tiberius gravis suorum censor, eos ultra  
terminos vagantes coërceret, digredi tamen et  
quaquaversum eos se munire passi sunt, qui Tiberi-  
um Caium quae excepérunt. Imprimis appellan-  
dus erit **CLAVDIUS**, pronus ad honores effunden-  
dos, cuius sub imperio, maiestate Consulibus ae-  
quati sunt. A perte tradit hoc Svetonius, dum  
**Claudium** ornamenta Consularia etiam Ducena-  
riis indulsisse refert, qvod **LAEV.TORRENTI-**  
**US** conspiciens, multa, fateor, congesit, sed quae  
ad **TRANQUILLUM** illustrandum nihil fa-  
ciunt. Risitque eum sine dubio contra morem

Cas

**C**aſaubonus, miratusque praeterea alios fluctuantes hoc loco, pari licet nomine notandus. Placatis illius manibus dixero, nil ibi fama dignum a tanto viro scriptum esse: Hoc explicandum erat, qua Ducenariis ratione, ornamenta consularia, non imminuta tanta dignitate tribui potuerint. Quod si in aetatem nostram, animumque modestiae deditum arrogantia caderet, dicerem ipsos vel Proconsulibus additos, vel parem cum ipsis dignitatem habuisse. Sed stabile ad fidem erit monumenti veteris suffragium afferre. Vedit illud, legitque Vir divini humanique iuris et literarum scientissimus, **GILBERTUS REGIUS NOSERINUS**, qui cum Valentiae rudera antiqua scrutaretur, lapidem in aede Felicis Martyris offendit, memoriam Petronii Casti Veterani his verbis desribentem:

**MEMORIAE AETERNAE.**

**PETRONII. CASTI. VETER.**

**MISSI. HONESTA. MISSIONE,**

**EX. LEG. PRIM. MIN.**

**EX. OPTIONE. PROCONS. DVCEN:**

**ET. VITALIANAE. FLORAE. CONIVG. EIVS.**

**VIVI. SIBI. PONEND. CVRAV. ET. SVB. ASC. DED.**

**C**

**XII.**

## XII

Ante vero quam ab illo discedamus lapide;  
 notandum erit, tradere Inscriptionem, Petro-  
 nium Castum, honesta missione missum, Optio-  
 nem factum, exque eo, vel Proconsulem Duce-  
 narium, vel Proconsularem Ducenarium, i. e.  
 ornamentis proconsularibus auctum esse; illa  
 enim diversa haberi, demonstrari potest. O-  
 ptiones, eos quondam dictos esse patet, qui  
 cuiuscunque rei vel ministri vel adiutores fo-  
 rent. Maxime tamen suos sibi Optiones militia  
 consecraverat, cuius rei VARRO, in libris de  
 vita Patrum, deque Lingua Latina, Nonio ac  
 Festo magna vi ad stipulantibus testimonium praes-  
 bet. Petronium vero nostrum militia solutum  
 affirmat Inscriptio, unde clarum. **OPTIONUM**  
 nomine, non centurionum modo accensos, sed  
 quorumcunque magistratum adiutores dictos es-  
 se, quod non inepte SCHARDIVS existimavit.  
 Ex istis vero in militia togata **OPTIONES**, qui  
 negotiis Proconsulum, Praetorum, Praefecto-  
 rumque adessent, magna diligentia observavit  
**DIO L. liv.** *τὸς δὲ δια περιπέτερος αὐτῷ ἔκ-*  
*στρατηγός*

etiam auctoritate. Ita ut etis dignitatis, namque in tunc  
tempore optionem non habet tantum upodestus. Tunc est etis dignitatis  
in tunc immunitate, sed etiam in auctoritate  
domus. Unusquisque praefectorum ipse sibi  
adcessores vel consiliarios adsciscit (OPTIONES  
legit) unicum quidem praetorius, ex sui aut in-  
ferioris ordinis hominibus, tres autem consula-  
ris, ex eiusdem dignitatis viris accipit, qui ipsi  
Imperatori probentur. Constat ex eo praesides  
provinciarum suos habuisse Optiones, et si fortas-  
sis nomine carerent, re tamen ipsa optionum  
munus praestitisse. Hinc statuimus Fetronium  
ex Optione vel adcessore Proconsulis, DUCENA-  
RIUM, pauloque post vel ipsum Proconsulem  
fuisse factum, aut ad minimum si Proconsulatu  
caruit, ornamenta eius quae titulos honorum et  
reliqua privilegia complectebantur, habuisse. Im-  
perator enim Proconsules dici voluit, non mo-  
do duos, qui Consules fuissent, sed alios etiam  
quotquot inter eos praeturam gessissent aut egis-  
se viderentur Dio L. LIV. Quod cum DVCE-  
NARIORVM multis sine dubio contigerit, iam  
expedita ratio, qui ornamenta Consularia gerere  
potuerint.

## XIII.

Ex illa adaequatione cum consulibus ac orna-  
mentorum collatione, fasces quoque et lictores,  
Proconsularis Imperii signa, ipsis concessa esse

nemo quidem dubitabit; attamen certiores hac de re fieri iuvabit. Commodumque nobis id Eusebius declarat, dum, de fastu PAVLI SAMOSATENTI, Praesulis Antiocheni memorans, eum DVCENARI more in celebritate non modo versatum, sed nomen etiam aucupatum ait,\* in superbiam elatus ( ita MUSCULUS reddit ) mundanas dignitates usurpat ac DVCENARIUS magis quam Episcopus vocari vult, perque forum incedens et epistolas legens, simulque publice ingrediendo dictans, numerosam catervam satellitum partim praecedentium, partim subsequentium circa se habet. Quae etsi ostendant quo DVCENARIOVM potestas fuerit progressa, magis tamen adhuc magisque auctam videmus, si ad DECII, VALERIANIQUE Imperatorum tempora descendamus. Etenim huc usque vitae necisque arbitrium penes ipsos non stetisse dixerim: quod tamen horum aetate adeptos esse, PHOTIVS

\* HARDVINVS ad Plin. xxxiiii. cap. I. opinatur, ipsum Paulum adscriptum fuisse albo iudicium qui lites dirimabant, suffragaturque I. G. GRAEVIVS; sed probandum ipsis, num omnes urbis illius iudices DVCENARII fuerint. De Paulo non negaverim, persuadent, quae Eusebius de eo, quod concussionibus civium ad magnas opes ascenderit. Nec temporis ratio abnuit, quum ea tempestate saepe e Praefidibus provinciarum praesules sumerentur, quod praeteralia Ambrosii exemplum docet.

TIVS Patriarcha quanquam subobscure ac praeeunte quidem alio indicat. Ex EULOGIO \* nimirum, Praesule Alexandrino, qui Commentarios Novatianos librumque ΑΓΛΗΝΩΝ ΝΑΟΥΣ inscriptum refutavit, Novatianos memorasse refert, Decio et Valeriano imperante PERENNIMUM DUCENARIUM, mandatis acceptis, omnes Romae, in que Eparchiis, Romam adiacentibus degentes Christianos, gravissimis quaestionibus ac poenis subiecisse: E quo colligamus licet, potestatem illis dataam adeo coarctatam non fuisse, ut poenas modo, sed mortem etiam decernerent. Quod si vero in omnes Christianos id licebat, licuit profecto et in milites maximam partem Christianos, in quos ne Proconsuli quidem ius animadverendi fuit. Dio L. LIV. De his vero rebus somnando quaedam accepisse credo IACOBVM GUTHERIUM, quando de officiis Domus Augustae, Libr: II, cap. xv. scribens, DVCENARIOS ad inquisitionem vagorum per provincias directos refert, quae certius multo explicaturus erat, si de iis, quae attulimus, ipsi constitisset.

\* Haec sexto Eulogii libro referuntur, quum tamen Photius quinque duntaxat eius sermones memoret. Quod qui factum sit nescio, Vfus sum editione Hoeschiana optima quidem illa, num vero Schottus illa observaverit, viderint, qui eius copiam habent.

Nunc de decrementis agendum, quae sensim huic dignitati contigerunt. Nec de tempore tamen satis convenit, nisi forte fidem conjecturae polliceamur. Athanasii profecto, sanctissimi doctoris Apologia altera, Flavio Philagrio, et Flavio Palladio, DVCE NARII, CURIOSIQVE munere praeditis inscripta, innuit. eos sub Christianis Imperatoribus tantam dignationem quantum quidem olim non obtinuisse. Addit enim illico, eos paruisse imperio τῶν Αυτοκράτων ἵπαγχων σειρῶν περιοχῶν, quum antea sui propemodum arbitrii fuissent. Id tamen satis percepisse mihi vi-sus non est PETRVS NANNIVS ALCMARIANUS, clarus alias hac Athanasii interpretatione et ceteris monumentis ingenii, siquidem quae de DUCENARIO, CURIOSO et BIARCHO, Athanasius habet, inepte reddidit, perswasus forte, Curiosi appellatione proprium VIRI nomen indicari, qnum Curiosi munus notissimum sit, cum que Ducenarii functione plerumque coniungatur. At, cum ne sic quidem imminutio dignitatis patreat, a Gordiano iuniore casus eius repetendus. Is, e Veteranis primo multos, conscripsisse fertur, quos ad CC. HS. Stipendium promoveret. Lectis hisce, PROTECTORUM nomen, cum DUCE-NARIO coniunctum addidit, non quod in bello protectione illorum uteretur, sicut adversus PRO-

**PROCOPIUM** falso **GUTHERIVS** existimavit,  
sed ut euntem Principem protegerent, vel cir-  
cumstiparent. \* Nec aspernati institutum illud  
reliqui principes, sed, ut animadvertisit **PROCOPIVS**,  
quandam pristini splendoris umbram ipsis conces-  
serunt, perpetua nempe adeundi, salutandique, o-  
sculo purpurae illato, potestate data, **CLARISSIMOS**  
etiam appellari voluerunt, quam honoris piae-  
rrogativam, ut nunc in tenebriones passim ef-  
funditur, servabant tum sibi principes, ut be-  
ne meritos hac compellatione honorarent.  
**CASSIODORUS.** **V A R.** Libr. VII. Tan-  
dem magis adhuc circumscripta illorum autori-  
tas, cum Scholarum comites ipsis imponerentur.  
Horum in **DVCENARIOS** grave imperium extitif-  
fe, **e Lege II. C. L. I. Tit. xxxi. de Offic. Mag. Off.**  
colligo, quandoquidem illa comitibus Scholarum  
verberandi, degradandique senatores et **DUCE,**  
**NARIOS** licentiam denegat. Ibi enim pruden-  
ter admodum **LANGLAEUS** Otio Semestri **Libr.**  
**XIII. cap. 2.** statuit, per Ducsonarios, ministros au-  
licos indicari, quibus **omnis iurisdictio in pro-**  
**vincias ademta esset.** Cui licet **ANTONIUS**  
**MORNACIUS** Senatus quondam Parisini Prae-

ſea

\* Testatur Inscriptio: D. M.

**ET. MEMORIAE ATTINIAE.****AVRELIVS. ROMANVS.****PROTECTOR. DVCENARIUS.**

AK Tel 89

(24)

ses in notis ad eandem Legem cum CAROLO  
LOYSELLO obnunciare videatur, Ducenarios,  
hoc loco militares fuisse viros censens, nil tamen  
impedit, quo minus in Langlæi partes conceda-  
mus, gnari, MORNACIUM a VEGETIO cir-  
cumventum esse, cui quidem damus, suo tempo-  
re milites, ordinum ductores, DUCENARIOS ap-  
pellatos esse. nec tamen ideo negari posse, eos  
post illius fata in re militari ita exprasse, quomo-  
do in re civili nomen paulo post evanuit, sic, ut ni-  
hil inde, nisi doctiorum, et nostra illa, quam te-  
nuis tandem illa sit, recordatio perstet.

Nomina autorum, quibus usi sumus.

Alciatus	Floccus Flor.	Photius
Apuleius	Graevius	Ryckius
Athanasius	Gutherius	Savaro
Beroaldus	Harduinus	Schardius
Blondus Fl.	Langlæus	Schottus
Brosseus	Lipsius	Sirmondus
Budeus	Loysellus	Svetonius
Bullingerus	Mornacius	Spartianus
Casaubonus	Naunius	Tacitus
Cassiodorus	Pancirollus	Tholosanus
Dio Cass.	Plin: uterque	Torrentius
Eulogius	Patinus	Varrò
Eusebius	Portius Leon.	Vegetius
Fenestella	Procopius	Vossius
		Vrsius Fulv.

SNEEB. E FORM. PFVTS NERIANIS,  
A. R, S. M, D. C. XCIX.

bon

M.C.

